

1.

OBSERVATIONES  
IN DOCTRINAM GRAMMATICORUM DE FOR-  
MIS VERBORUM LINGUÆ RUSSICÆ

CONS. AMPL. FAC. PHIL. AB.

PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERT  
*CAROLUS GUST. SÏÓSTEDT,*  
*Philosophiæ Magister.*

RESPONDENTE

*JOHANNE FREDRICO EVANDER,*  
*Stipend. Bilmark. Aboënsi,*

In Auditorio Juridico die V Majj MDCCCXXIV.

h. a. m. s.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.

OBSERVATIONES

IN DOCTRINAM GRAMMATICORUM DE FOR.

INIS VERBORUM IN LINGUA RUSSICA

GOSS AVD. S. P. A. A.

PUBLICO EXAMINE MODERATE GUST.

CAROLUS GUST. SPÖSTEDT.

BRUNNEN

JOHANNES FREDERICUS BRUNNEN

BRUNNEN

In Anstalt der V. M. M. M. M. M.

d. a. m. a.

BRUNNEN





**D**enominationes indefinitæ, perfectæ, simplicis & frequentativæ formarum, in abstracto considerata, nullam etsi involvant contradictionem, attamen fiunt valde inutiles ad producenda tempora pertinentia unicuique harum formarum a particularibus modis infinitivis. Verum est, quod cogitare liceat duos modos infinitivos ejus generis, ut alter eorum sub se comprehendat notionem actionis in universum, alter vero notionem actionis restrictæ. Tali modo contendere liceret Suetica verba *tata* & *sâga* in eo discrepare, quod illud notionem actionis in universum, hoc vero notionem actionis restrictæ involvat. Sed ab his modis infinitivis ascendere non licet ad præterita tempora horum modorum infinitivorum, eo nempe modo, ut præterita tempora, producta ab his modis infinitivis, responderent iisdem verbis. Quoniam enim modus infinitivus formæ indefinitæ comprehendit sub se notionem actionis in universum, præteritum tempus, productum ab hoc modo infinitivo, comprehendat necesse est, notionem actionis factæ in

A

uni-

universum. Sed talem actionem cogitare non licet. Talique modo præsens tempus hujus formæ necesse est involvat notionem actionis non determinatæ. Eodem modo magnæ oriuntur, difficultates in determinando præterito perfecto, pertinenti ad formam insignitam nomine DETERMINATÆ. Sed non modo hujus rei habito respectu fiunt denominationes formarum indefinitæ & definitæ valde inutiles. Verba enim debent, ut cuique notum est, indicare & insignire solam agendi rationem, sed non possunt exprimere scopum & mentem activæ personæ. Persona etenim activa ipsa determinat suas actiones. Quod si has ipsa non determinet, libertate necessario privabitur. Si modi infinitivi formarum indefinitæ & definitæ inter se discrepent, necessario sequeretur, ut omnia verba haberent has formas. Persona enim activa non posset exprimere actiones determinatas in illo casu, quo unam tantum haberet formam.

Eodem modo nullæ oriuntur difficultates, si in abstracto cogitamus formam frequentativam. Sed ante omnia debemus indicare particularem modum infinitivum in omnibus verbis, quæ habent præteritum tempus formæ appellatæ frequentativæ, & indicare causas, cur terminatio infinitiva нумь, pertinens ad formam appellatam simplicem in uno casu, possit fungi munere formæ simplicis, in alio vero



vero determinatæ. Sed si non licet indicare particularem modum infinitivum in omnibus verbis, quæ habent præteritum tempus formæ, appellatæ frequentativæ, in quo casu hoc tempus considerandum est ut forma hitpaëlica præteriti temporis formæ appellatæ indefinitæ, necessario sequitur, ut forma simplex ruat una cum forma frequentativa. Existentia enim hujus formæ, nobis iudicibus, dependet ab explicatione præteriti temporis formæ frequentativæ.

Formæ oriri posse videntur duplici ratione. Scopum personæ activæ si reputaverimus, formæ definitæ & indefinitæ oriuntur. Ipsum modum vero, quo verba exprimunt actiones si respexerimus, oriuntur quoque formæ. Verba enim possunt exprimere actiones, sive sub specie *intuituum*, sive sub specie *notionum*. In hoc posteriori casu omnia verba linguæ rossicæ eundem numerum notionum, etsi sub diversis formis exprimunt. In modis etenim infinitivis formarum, quas indefinitam & definitam appellarunt, evanescit distinctio inter intuitus & notiones abstractas. Ad formam appellatam intuituum pertinent 4 tempora: 1:то неопределенное прошедшее время (Tempus *аористов*). 2:до настоящее время (Tempus *præsens*) 3:то продолжительное будущее время (Tempus *futurum*, longissimam actionis moram significans). 4:то давно прошедшее время (Tempus, quo actio per lon-

longum temporis spatium continuata significetur). Ad formam vero, appellatam conceptum, duo tantum tempora pertinent: 1:mo простое будущее время (Futurum, quo actio significetur, quæ mox præterlapsura sit). 2:do совершенное прошедшее время (præteritum perfectum). = Caussa, cur forma, quam conceptum dicimus, non possit habere tempus præsens, opinamur quærenda est in eo, quod actio relata ad conceptum, ipsa per se determinetur. Fundamenta, quibus hæ denominationes nituntur, apparent e sequentibus observationibus. In *Opella*, quam sub titulo замѣчанія касательно российской грамматики, nuper edidimus, ostendimus, quod antiquæ Rossiæ incolæ notionem præteriti perfecti неопредѣленнымъ прошедшимъ временемъ (per tempus *ἀριστον*) cum præpositione insignire fuerint solitisimulque ostendimus, quod præpositiones occurrentes in præterito tempore formæ, quam definitivam appellant, olim ad ipsas phisicas non ad abstractas notiones fuerint relatæ. Illam vero circumstantiam, quod linguæ prodeutes e radice slavonica sibi invicem opponere possint duo præterita tempora, nullo alio modo explicare licet, quam eo, quod alterum horum præteritorum temporum consideretur ut intuitus alterum vero ut notionis abstractæ signum. Caussam vero hujus rei sine magno labore perspicere forsitan possumus, si perpenderit, quod illud præteritum, quod nos appella-



pellavimus **совершенное прошедшее время**, sit **compositum a tempore ἀριστω**, & **præpositione** simulque ad id attenderimus, quod hæ **præpositiones antiquitus ad ipsas físicas & non abstractas notiones fuerint relatæ**. Inde etenim, quod in **præterito tempore formæ, appellatæ definitæ, occurrant præpositiones, facile apparet, quod Russi notionem actionis præteriti perfecti tempore ἀριστω, & præpositione antiquitus insigniverint**. Facile apparet, **priscos Russiæ incolas notionem abstractam præteriti perfecti non potuisse cogitare, sed insignivisse eam tempore ἀριστω, & præpositione**. Quod ut **elarius fiat, unumquodque tempus præteritum, ad formam appellatam definitam pertinens, in suas constitutivas partes, tempus nempe ἀριστον & præpositionem, resolvamus**. **Primariæ harum præpositionum sunt sequentes: 1:мо възь (sursum): 2:до про (per): 3:тіо по (aliquantum): 4:то о (circum, circa): 5:то у (juxta): 6:то вы & изъ (ex): 7:мо за (Suet. fast: per) 8:во съ (de, ex, cum): 9:но ошъ (ex): 10:мо разъ (seorsum): 11:мо На super**. **Præpositio по videtur antiquissimis temporibus relatâ ad ipsam formam & speciem externam fuisse; exempli gratia in vocabulo подумалъ (meditans apparuit)**. Simulque negari non potest, quod **præpositio по, etsi in certo respectu restringens, tamen ad reducendam notionem a mundo sensualitatis ad mundum conceptuum inserviat**. **Exempli gratia in vocabulo покаралъ (punivit)**. Si  
tan-

tantum præpositionem in hoc præterito perfecto a radice separaverimus, ipsius intuitivæ notionis signum, hoc est tempus *αοριστον*, restat. Inter supra nominatas præpositiones videntur imprimis съ, вы, изъ, ошь, за, у & на relationem ad ipsam rem involvere atque ita formare hac præteritum perfectum, совершенное прошедшее время, a nobis dictum, in opella, sub titulo замѣчанія касательно російской Грамматики edita. Hoc nonnullis exemplis exponamus: онъ сварилъ, han kokade af, id est: han hafver kokat: Онъ опкушалъ han: bet af, id est: han hafver bitit: онъ изловилъ, han fångade ut, id est: han hafver fångat: онъ завинтилъ han skrufvade fast: id est: han hafvar skrufvat: увидѣлъ, han såg vid: id est: han hafver sett. Съкидалъ han kastade af, id est: han hafver kastat. прокормилъ, han nårde igenom, id est: han hafver nårt. Съдѣлалъ han arbetade af: id, est han hafver gjort. Idem tempus præteritum perfectum, ad ipsos sensus relatæ, formant præpositiones о & разъ: exempli gratia in verbis озебнулъ frigore confectus est & разбогатѣлъ dives factus est. Præpositio vero возъ videtur relata ad ipsam sensualitatem, ubi hoc præteritum perfectum adhibetur: exempli gratia in vocabulo воззвалкаль, esurivit. Hujus præteriti perfecti resolutione in suas constitutivas partes, præpositionem nempe & tempus *αοριστον*, oritur signum intuitus. Namque ipsam intuitivam  
notio-



notionem hujus temporis *ἀόριστος* eruimus per resolutionem hujus temporis præteriti perfecti in suas constitutivas partes. Si vero proficiscamur e modis infinitivis formarum, appellatarum indefinitæ & definitæ, determinandum nobis esset, quid discriminis inter hos modos intercedat; alias enim præterita tempora prodeuntia ex his modis infinitivis iisdem verbis respondere non possent. Ut vero hoc *совершенное прошедшее время* antiquissimis temporibus fuit sensuale, ita sensuale fuit quoque præteritum tempus formæ frequentativæ. Eo enim, quod tempus a *Rossiaë* incolis olim non ad abstractas sed physicas notiones referri soleret, accedit, ut hoc præteritum involvat notionem actionis per longius temporis spatium continuatæ (*давно прошедшего времени*). Ex hac expositione præteriti formæ definitæ, (*совершенной*), per se sequitur, ut hoc tempus *ἀόριστον*, in verbis, quorum cum præpositionibus supra enumeratis, per compositionem formatur præteritum perfectum, in intuitu versetur.

Sed non tantum in verbis, quæ hoc *совершенное прошедшее время* per compositionem cum præpositionibus formant, sed etiam in aliis verbis, quæ hoc tempus sine compositione cum præpositionibus formant, notionem hujus temporis eruere licet, si tantum præpositionem cum hoc tempore

pore *αοριστω*, conjunxerimus. Nam locutionem ex. gr. **онъ давалъ деньги но не далъ ихъ** sequenti modo exponere licet: han räckte fram penningarna, men hafver ej ännu räcktt dem af (handen). Pari modo locutionem vertas: **онъ купилъ домъ**, han handlade huset af. Debemus enim in plurimis casibus tantum conjungere præpositionem, quo hoc совершенное прошедшее время oriatur. Ab omnibus his observationibus sequitur, ut sequentibus principiis nitatur doctrina de verbis linguæ Rossicæ: 1:mo Неопредѣленное прошедшее время (tempus *αοριστου*). 2do Совершенное прошедшее время (Præteritum perfectum), 3:tio давно прошедшее время (tempus actionem longioris moræ significans), quæ sunt bases, quibus omnia nituntur. In verbis, quæ cum præpositionibus composita sunt, semper intuitiva temporis *αοριστι* notio oritur per resolutionem hujus præteriti perfecti (совершенношаго времени) in suas constitutivas partes nempe præpositionem & tempus *αοριστου*; & ex oppositione hujus temporis *αοριστε* & Præt. Perfecti semper determinare licet, utrum conveniat usurpare modum Infinitivum formæ intuituum an notionum. Eo enim, quod hoc tempus *αοριστου* intuitum respiciat, sed прошедшее время notionem abstractam Præteriti perfecti, evanescit in modis Infinitivis discrimen inter intuitus & conceptus. Aliter explicari res vix posse videtur. Si e contrario



trario e modis Infinitivis harum formarum proficisci voluerimus, absolute necessarium erit, aliquod discrimen inter hos modos determinare; alias enim præterita Tempora harum formarum iisdem radicibus, uti diximus, non respondebunt. Facile simul apparet, modos harum formarum Infinitivos non posse a semet invicem distingui. Nam si aliquid discriminis has formas Infinitivas intercederet; necessario sequeretur, ut verbum, unam tantum habens formam, nationi Rossicæ ad exprimendas notiones ejus non sufficeret. Insimul videntur & ipsi verborum soni harum duarum formarum duriores vel leniores mox indicare, in quo mundo, sensibiline, an intelligibili, agens persona sit quærenda.

Uberrima Russorum idioma præbet tam sensibus, quam menti nutrimenta. Si contrario e modis Infinitivis harum formarum velimus ordiri, magna linguæ Rossicæ hæc præstantia evanesceret. Ex omnibus hisce observationibus sequitur, ut doctrina formarum linguæ Rossicæ fiat tam simplex & naturæ conveniens, quam poscat ratio ad unitatem tendens. Primarium quo omnia nituntur, fundamentum, in eo cernitur, quod non liceat alio quodam modo peculiarem linguæ Rossicæ indolem, quod duo præterita sibi invicem opposita usurpari possint, explicare, quam quod alterum

B eorum

eorum sit intuitus, alterum vero notionis abstractæ nota. Неопредѣленное прошедшее время fit itaque fundamentum totius systematis. Совершенное прошедшее время, sive præteritum formæ Совершенной respondet notioni abstractæ præteriti perfecti omnium linguarum Europæarum. Resolutione hujus temporis in suas constitutivas partes semper invenire licet intuitivam notionem hujus temporis *догисѣ* in verbis, quæ habent formas & intuituum & conceptuum. Reliqua, ad verbum pertinentia, sunt tempora: 1:to Наспопящее время. 2:о Продолжишельное будущее время. 3:io Просное будущее время. 4:to Совершенное прошедшее время. Simplicibus his fundamentis nititur itaque doctrina formarum linguæ Rossicæ. Нас expositione primariorum temporum linguæ Rossicæ *догисѣ* & præteriti perfecti, quæ constituunt fundamenta doctrinæ formarum, fit doctrina de verbis quam simplicissima. Nam ex eadem elucet, quo fieri possit modo, ut verba, unam habentia formam, possint Nationi Rossicæ ad exprimendas notiones suas sufficere. Quod vero non intelligi posset, si modi Infinitivi formarum, quæ definita & indefinita nuncupari a Grammaticis solent, inter se discreparent. Afferamus ultteriores expositiones pertinentes ad hanc materiam. Quod pertinet ad hoc совершенное прошедшее время in verbis compositis cum præpositionibus, in præcedentibus explicatum a nobis est. Quod vero attinet ad verba, quæ non formant hoc современное прошедшее время  
per



per compositionem cum præpositionibus, quasdam addere expositiones e re esse ducimus atque exemplis nonnullis illustrare: **Вбилалъ**, **вбилъ**: **вбрасывалъ**, **вбросилъ**: **вбуравливалъ**, **вбуравилъ**; **вбѣчалъ**, **вбѣжалъ**; **вваживалъ**, **вадилъ**; **вваливалъ**, **ввалилъ**: **ввергалъ**, **вергнушъ**: **ввершывалъ**; **нулъ**: **ввивалъ**, **вилъ**: **ввинчивалъ**, **виншилъ**: **вволакивалъ**, **лочилъ**: **вгружалъ**, **вгрузалъ**; **вдавливалъ**, **вдолбилъ**; **взворачивалъ**, **взворошилъ**: **взвѣщывалъ**, **взвѣшилъ**; **вздумывалъ**, **вздумалъ**; **взыскивалъ**, **выскалъ**; **вкапывалъ**, **вкваснулъ**; **вквашивалъ**, **вквасилъ**: **вкисивалъ**, **вкинулъ**: **вклеивалъ**, **вклеилъ**: **вколочивалъ**, **вколошилъ**: **вкопывалъ**, **вкопалъ**: **вливалъ**, **влилъ**: **выболванивалъ**, **выболванилъ**: **выбрасывалъ**; **выбросилъ**. **Нас exempla forsitan sufficiunt ad ostendendum modum, quo hæc tempora usurpare liceat. Debemus tantum præcipua, quæ diximus, tempora secum invicem comparare, quo eluceat, utrum altero, an altero infinitivorum uti liceat. Pari ratione sequitur, ut прошедшее время formæ indefinitæ sit неопределенное прошедшее время. Quod solum efficit ut hoc tempus sufficiat ad exprimendas omnes notiones. Ex eodem enim fonte emanat, ut hoc tempus possit fungi munere præteritorum imperfecti & perfecti. Quæ si tollatur ejus vis, verbum habens unam tantum formam ad mentis sensus Moscovitarum significandos impar esset. Nam quomodo poterint verba, una tantum gaudencia forma, vices complere verborum, quæ habeant 2, 3, sive 4 formas, si hoc tempus præteritum non fuerit Неопред-**

предѣленное прошедшее время. (tempus *ἀόριστον*)? Insimul apparet, quod formæ Grammaticorum, simplex nempe & definita, expriment easdem notiones. Si enim præterita tempora formarum definitæ & simplicis a semet invicem essent diversa; possemus indicare aliquam differentiam inter ea. Quod vero nos non valere ingenue fatemur. Nos scilicet non possumus discernere, an intercedat quid discriminis exempli gratia inter скидаль & кинуль. Et quoniam in lingua russica vix aliud occurrat verbum, quod omnes grammaticorum formas habeat, facile, opinor, apparet, Grammaticorum doctrinam justo longiorem esse & superfluis distinctionibus obrutam, idque præsertim cum terminatio infinitiva нушь non sit character formæ simplicis constans. Sed nobis incumbit adhuc addere quasdam observationes pertinentes ad formam Grammaticorum frequentativam. Si non possit ostendi in lingua Russica propria terminatio infinitiva in omnibus verbis, quæ habent præteritum tempus pertinens ad hanc formam, per se sequitur, ut hoc tempus considerandum sit ut hitpaëlica forma hujus temporis *ἀόριστος*, atque ideo pereat forma simplex una cum expositione Præteriti formæ frequentativæ. Ex his omnibus effici putamus, præsens tempus hujus formæ frequentativæ in Rossica lingua non inveniri. Insimul patet, formam simplicem una cum frequentativa evanescere; nam adeo quidem arcto coherent vinculo, ut existentia formæ sim-



simplicis dependeat ab explicatione Præteriti temporis formæ frequentativæ. Sequitur porro, ut omnia verba exprimant eundem numerum conceptuum, licet sub diversis formis. Hoc vero non sequeretur, si modi indefiniti formarum definitæ & indefinitæ inter se differrent. Et quis credat, nationem incepisse a duobus Modis infinitivis ita comparatis, ut differentiam quandam inter eos non liceat investigare. Quin potius videntur præterita tempora formarum, quæ indefinitæ & definitæ dicuntur, ita esse fundata genio nationis Rossicæ, ut eadem a propriis Infinitivis frustra derivare coneris; neque possumus, quin in maximas difficultates incidamus, e propriis modis Infinitivis exeuntes.

Observationes hæ comparatione inter linguam bohemicam & græcam instituta nituntur, eoque in primis, quod nonnulla verba linguæ Rossicæ una tantum forma gaudeant. His principiis favere quoque videtur examinador linguarum sagacissimus *Negedli*. Cujus acutis de oppositione duorum præteritorum temporum in lingua Bohemica observationibus \*) nos nostra de lingua & indole Sermonis Russici meletemata magnam partem debere profiteamur.

\*) Рѣчи Юганна Негедли Профессора богемской словесности говоренная имъ въ 1801 году. Ex versione Бице. Адмирала Шишкова, Magni in perscrutanda idiomatum slovenicorum natura et indole Herois.